M. G. HAYI
ORATIO HABITA IN Gymnaſio Aberdonenſi 2. Iulij. 1569.

* * *

EDINBVRGI
EXCVDEBAT ROBERtus Lekreuik. Anno. Do. 1571.

NATIONAL LIBRARY
B
7 JY
1932
OF SCOTLAND

LAURISTON CASTLE
LIBRARY ACCESSION

M. G. HAYI ORATIO HABITA IN GYMNASIO Abirdonenſi ij. Iulij. 1569.

SOLENT ij qui rem nouam aggrediuntur, aut conſuetudinem longa vetuſtate confirmatam conātur immutare, parati eſſe ad reddendam inſtituti ſui rationem: tum quòd difficile eſt inueteratam opinionē ex mentibus hominū euellere: tum quòd ab his ſtudijs quibus aſſueuerunt, ad nouam eamq́; prorſus alienam atque contrariam vitæ rationem deducere atque efformare, omnium eſt maximè arduum. Eſt ipſum quidem nouitatis nomen merito apud ſapientes omnes inuiſum, mutationéſque omnes, quòd ex his acerbiſsimi caſus, exitialia damna, pernicioſęq́; rerump. conuerſiones conſequātur Iuſtitiſsimis de cauſis omnes rerum gerendarum periti exhorreſcunt, reformidant, pertimeſcunt. Quod cum omnes omnium ætatum hiſtoriæ conteſtentur, tum Chriſtiana reſp. magno noſtro malo his noſtris temporibus eſt experta: Verum cū hoc vno nomine res etiam optimæ reijciantur, reſque ipſa ſit in ſe copioſa, multiplex latiſsimeq́; ad omnes vitæ partes pateat neque mediocrem ſit audiētibus cum vtilitatem tum voluptatem allatura, conabor pro virili pauca quædam breuiter ac dilucide ea de re dicere, ſi quædam tamen ante de me præfatus fuero, ne aut meam quiſquam culpet temeritatem aut impudentiam demiretur. Ego quod ad me attinet nec rei magnitudinem ignoro quam ſuſcepi nec apud quos de re maxima rationem habeam ſum neſcius, neque huc prodeo velut electus vnus maximè ex omnibus ad dicendum Idoneus quippe meę imbecillitatis & ingenij tenuitatis probe mihi conſcius ſed eorum conſilio adductus & imperio coactus quorum nec auctoritatem poterā defugere neque voluntati quidquam denegare. De re autem ea dicturus ſum non quam optime omniū teneam ſed certe cui bonam ætatis partē impendi vt ſi ad ſummum in ea gradum non peruenerim aliquem tamen locum mihi deberi iure affirmare poſſim. Periculum igitur facere decreui de mei exiſtimatione nihil interim ſollicitus vt ſi minime vobis ſatiſfecero hoc tamen vnum aſſequar ſi ijs quibus obſequi propter virtutem libenter volo & ob locū quem in rep. tenent refragari nec poſſum, nec debeo, ſtudium parendi meum, diligentiamque comprobem. Breuiter itaque res ſic habet. CVM Illuſtriſsimus Prorex (quem diuinitus nobis datum merito dicere poſſumus) omnes huius noſtræ reip. partes vitio temporum labefactatas ac tantum non interituras corrigere atque curare in animo haberet, literarum ſtudia, quarum, incertum, maior ne ſit ſplendor, an vtilitas, minime negligenda ſibi exiſtimauit: ac cū cætera quæ in hoc genere vel neg-

ligentia

ligentia hominum bonorum, vel etiam culpa malorum acciderunt, vitia ſemel obire non poſſet, vnã tamen rem potiſsimam ex qua neglecta plurima mala in publicum redundant, & ſi recte obeatur, maxima emolumenta in omnes regni partes ſint peruentura, ſibi diutius omittendam non putauit. Et cum hec pars in reliquis regni gymnaſiis, eius, neſcio an maiore fælicitate, an diligentia, probe ſit curata, periculum in hoc Aberdonenſi faciundum ad multos iam annos ratus, clementia & manſuetudine rem tentauit. Sed cum hac ratione res minime procederet, tantumque aſtutiſsimorum hominum vafricie & impoſturis diem de die duci, & ſe deludi perſpiceret, legibus agendum decreuit vt legum ſeueritate pertinaciſsimorum hominum contumacia retunderetur.

¶ Dies hominibus dicitur, conuenitur, adſunt, omnes audiſsimis animis rei exitum expectãt. Quid multis? impoſtura detegitur, ex patrum ſententia legiſque mente decernitur, remouendos, ne quod amplius Iuuentuti periculum creent. Deligendos homines de Religione bene meritos, & in omni literarum genere exercitatos. Hic quanquam ad laudandum Proregem ſeſe offerat materia ampliſſima illa quidem & meritiſsime ad omnem æternitatem tranſmittenda, nolo tamen in eo laudando longiorem orationem conſumere, ne aut ſuorum meritorum magnitudo dicendo eleuetur potius, quam extollatur, aut eius gratiam demereri videar, cuius ego animum ab hoc ambitionis genere ſcio eſſe quam alieniſsimum. Nunc ad contentionem ipſam peruentum eſt: atque hęc iniquiſsimis animis ab aduerſariis excipi non ignoro: verum ſi paulo accuratius mecum rem expenderint, ordine omnia rectiſsimèque geſta confitebuntur. Quid enim a laruatis iſtis magiſtris expectandum erat, qui ſcientiæ oſtentatione, non cognitione: virtutis opinione, nõ ſolida & expreſſa effigie: grauitatis vmbra, non viua illa & ad veritatem efficta imagine valebant. Quid vt primum Iuuenes ex Grammaticorũ ſcholis elapſi his tradebantur? Præcepta quædam exilia illa quidem ieiuna & frigida aridiſsimè proponebantur, non dialecticę ex fontibus Ariſtotelis & veterum dialecticorum deriuata, ſed ex putidiſſimis tartareti ſuique ſimilium inſulſiſsimorum ſophiſtarum lacunis, ſophiſticę, deprompta, aut ex ſuis ipſorum ingeniis marteque excuſa & excogitata. Neque eſt quod hic patrum conſtitutiones, teſtamenta, voluntates vereamur quippe quæ ab iſtis refixæ a nobis confirmantur: ab iſtis in tenebras & profundum demerſæ, a nobis ſummi dei beneficio reſtituuntur: ab iſtis in orcum ipſum detruſæ atq; defoſſæ, a nobis in lucem protractæ ac veluti poſt liminio reuocatæ reuiuiſcunt ſplendoreque priſtino & dignitate donantur. Is ſcilicet patrum ardor erat (viri ornatiſsimi) hæc ſcilicet mens, vt iuuentus

tus (quæ a veteribus merito reip. ſeminarium dicitur) bonis literis erudiretur, præceptoribus bonis quidem illis viris atque omni ſcientiarum cognitione excellentibus traderetur, quibus ita operam nauarent vt & ad rem familiarem comparandam Proficerent & amicis opem pollicerentur: tum denique ad remp. gerendam honoreſque aſſequendos aditum quam facillimum haberent. Ego de iſtis viris nihil dicam, quorum pars omnino bonarum literarum ignari, pars ad omnia vitę officia ineptiſsimi neſcio quam ciuibus opem promittere, quam reip. frugem polliceri, quem literarum candidatis fructum vtilitatemq́; afferre poſſunt. Pręferunt ſtudium quoddam ardoremque non vulgarem? Fateor. Sed ni fallor ea res maioribus animis impetuque tentata, quam conſilio geſta eſt. Dicam enim liberè quod ſentio nondum bonarum artium huc non modo expreſſa Imago ſed ne guſtus quidem peruenit, vmbram enim potius, quam effigiē, boni viri potius, quam eruditi ſecuti ſunt. Neque hoc dico vt qui ſuperioribus annis in hoc ſtadio cucurrerunt, homines magis literarum ſtudioſos quā literatos calumniari velim, imo eorum conatū laudo, ſtudium amplector, voluntati faueo, & ſi quod operæpretium fecerunt gratiam habeo, quæ omiſerunt veniam facile impartior: Omiſerunt autem in omni ſtudiorum genere plurimas & maximas partes, ſed in primis, de qua nobis eſt oratio. Omiſerūt inquam rem vnam maxime omnium neceſſariam, id eſt, vt pietatem cum eruditione coniungerent. Sunt enim literæ in omni fortuna iucundæ.

Ornant proſpera, res aduerſas leuiores faciunt, ſunt ad omnem vitæ partem vtiles, aditum patefaciunt & ad rem augendam, & honores capeſſendos ſed ſi cum impietate ſint coniunctæ, in detrimentis vitæ, non emolumentis, in venenis, non remedijs, imo rerum humanarum certiſsimæ peſtes numerandæ & cenſendæ ſunt. Tales enim ſunt (vt Terentius loquitur de fortunæ bonis) quales ij qui his vtuntur ſi boni, his bona, ſi mali, mala iudicanda. Caue quiſquam arbitretur hic me literas velle vituperare, quarum ſtudijs me ſemper vnice delectatum fateor & quas penitiſsimè in mentibus omniũ defigi & imprimi velim, quippe quarum vtilitas ad omnes vitę partes latiſsime patet, vt quanquam plurima ab iis mala fateor eſſe profecta, cum tamẽ hoc habeant literæ cum rebus omnibus bonis commune, nõ video quid his præcipue tribui poſsit. Quid vtilius aqua? Atqui non ſingulos homines, ſed claſſes, imo opulentiſsimas vrbes, & regiones totas aquarum violentia obrutas teſtantur hiſtoriæ, atq; documento quotidiano experimur. quid ſine ignis vſu vita humana? Incendiis tamen quotidie audimus vrbes maximas deletas, & regiones deformatas, quid ergo? Igne & aqua carebimus? A quibus tot in dies exitialia mala nobis oriuntur, minime:

vitium ſi quod in his eſt, hominum, non rerum ipſarum eſt. Gladium fabricauit hominum ſolertia aduerſus latrones, eo tamen latro vtitur nõ tam ad vim depellendam, quam iniuriam inferendam. Ideone gladium abiiciemus? Medicorum aliquis venenum dedit ægrotanti. Medicinam ne confeſtim dãnabimus? Arrius & Porphirius homines docti fuerunt, iidem doctrinæ armis pietatem oppugnarunt. Næ illud quod Cicero de eloquentia dixit ad omnia ſtudiorum genera patet, ſine pietatẽ quippe (in qua vna ſapientia conſiſtit) totidem gladios eſſe in manibus furioſorum. Ea enim eſt vt dixi omnium rerum etiam optimarum conditio quo quęq; maiorem & præſtantiorem ſui vſum bonis exhibet, eo pernicioſior, ſi a malis tractatur, eſt futura. Hoc igitur prudenter proſpexit & cõſultiſsime ſanxit ſenatus noſter ordinumque conſenſus, vt ijdem eſſẽt literarum, qui pietatis magiſtri. Vt huic legi ſanctiſsimæ obedienter obtemperetur. Noſter Prorex in ſe munus ſuſcepit. Munus vere regiũ: Reges enim quandiu pietatis ſtudia colunt deus eorum imperia fulcit, actiones proſperat, inimicorum impetus frãgit, conſilia eludit, arma propulſat, furorem exarmat, vim propellit. Pietatis porro cuſtodes ſunt literæ, quod vel hinc facillime intelligi poteſt quod pietatis & literarum ijdem ſemper ſunt hoſtes, vt qui pietatem extinctam velint, ij bonis literis confeſtim bellum indicant. Quid enim aliud ſuperioribus aliquot ſeculis impietatis tenebras orbi inuexit, niſi literarum ignoratio? Quid magis contendũt pietatis veræque religionis aduerſarij quam bonas literas extinctum iri? Quid aliud religionem pene extinctam reſuſcitauit & iacentem erexit? Quã lux è tenebris orbi cæcutienti effuſa? Quod ipſi impietatis profeſſores, depulſam nimirum barbariem, & reuocatam longo interuallo pietatem, non ſecus ac titanes cælo deiecti ſecum ingemiſcunt.

Hæc ego pluribus fortaſſe, quam oportuit in hoc cetu egi, ſed paucioribus quam rei dignitas, & magnitudo poſtulat.

Reliqua mea oratio vobiſcum eſt adoleſcentes literarum ſtudioſi. Magna hoc ſeculo controuerſia eſt eaque de re maxima: nimirũ de vero cultu dei, de hominis officio, de ſalute per chriſtum parta, de peccatorum remiſsione, de vi peccati, de ſpe immortalitatis: ea vitio hominum & partium contentione alitur, creſcit, fit diuturnior. Nos cum propheta clamamus, venite omnes ad aquas ſtudium veritatis quærendæ, aut vna vobiſcum diſquirendę profitemur: diligentiam offerimus, ad audiendum omnes exhortamur, ad contentionem aduerſarios laceſsimus: illi vobis aures occludunt, oculos tegunt, vetant ne quem niſi illos audiatis, ne quid niſi ab ipſis oblatum legatis, vt cum crudeliſsima conſcientiæ carnificina vos vexauerint, miſerrimum ſeruitutis iugum mentibus ſimplicibus imponant

quo

quo ſibi, non Chriſto diſcipulos adiungant: neque dubito quin ſi poſſent, iudicium omne & rerum humanarum delectum, imo ſenſum ipſum communem auferrent: vt ſibi ſolis addicti, animi omnino pendeatis. Nos de rebus diuinis hortamur vt vni deo fides habeatur, quis enim vere de deo niſi deus ipſe enunciare poteſt? Lex dei vna nobis cum illis eſt communis, literis certis neque ijs obſcuris continetur, neque enim deus ea monumenta nobis relinqui voluit vt per ea omnibus eſſet obſcurus, ſed vt ſe quatenus ab hominibus cognoſci poteſt, nobis proderet atque oſtenderet: ad eam legem cognoſcendam eos prouocamus, illi in latebras humanarum conſtitutionum confugiunt atque ad ſophiſmata ſua & inuenta conuolant, de his vero non ſecus ac de focis & aris dimicant, & cum harum auctoritatem prorſus imminutam vident, tanquam amiſſum patrimonium deflent. Quid reliquas artes quæ veræ pietatis ancillæ eſſe debent, literas dico? Num illas purius tractant? Quod vnquam earum ſpecimen ediderũt? Imo quam tandem artium quæ literariæ nominantur purè docuerunt? Vos igitur adoleſcentes obteſtor ne quæ nondum noſtis, ante quam diligenter audieritis, condemnetis: deinde cum audieritis vtrorumque rationes, ea animi æquitate quæ literas & humanitatem decet accipiatis & expenſis diligenter & accurate contrariarum rationum momentis quæ audita ſunt fideliter retineatis. Magna eſt in animis hominum conſuetudinis vis, magna præceptarum opinionum tyrannis, quæ quidquid non nouit damnat, & ad ignota aures occludit, quippe, quæ ſeſe a veritatis cognitione præiudicio quodam atque anticipata opinione arcet, ea cum omnibus eſt turpis, tum his qui veritatis ſtudio teneri ſe profitētur, omnium eſt turpiſsima.

¶ Tertium caput eſt idque minime omnium negligendum vt vos præceptoribus ea animorum contentione & veluti charitate deuoueatis, qua eos decet, qui ſpem non aſpernandam præbebunt frugis futuræ. Niſi enim magiſtri ſe vobis totos addicant, & vos illis mutuo deſpondeamini, nullus aut certe perexiguus fructus expectandus eſt. Hoc ſi non impetrauero, ſaltem hoc aſſequar, vt quæ dicentur attente audiatis & cum veteribus diligenter collata, quæ præſtabunt, amplectamini. Quod ſi vtrique præſtiteritis, futurum eſt vt nec vos fideliter nauatæ operæ, nec Magiſtros laborum vnquam pœniteat. Atque, quod ad me attinet, in me ſuſcipio, vos hiſce duodecim menſibus, quam toto ſuperiore triennio plus profecturos. Precemur itaque deum optimum maximum vt exilia hæc principia bene fortunet, fæliciterque prouehat ad amplificandam nominis ſui gloriam & regni filij ſui fines dilatandos. DIXI.

NATIONAL LIBRARY OF SCOTLAND

¶ FINIS.

Parisiis

ap. B. [illegible]

[illegible]

11713